S. Literas tuas Vir clarissime et observandissime Socer, illa tua solita humanitate
plenas, quam libenter viderim, legerimque, nullis verbis expressero. Qui enim tam pauperis ingenii
ille praeterea dignum iniquissimae fortunae ludibrium, facile dicerem quanta voluptate
affectus fuerim, sed si quis inter meras lachrymas gaudere et a miserabilibus perturbati-
onibus respirare potest, si latronum metus, si pestis saevae horror frontem a rugis
vindicare sinunt. Antea certe quam aditum mihi in patriam ad concelebrandas
nuptias tuas quas, impeditum esse ex literis nondum redditis cognoscere possem, nuncio
praeoccupante te sororem meam duxisse laetitia amens mihi ipse videbar audire. Sed
tum cum prorsus animum nullo nuncio misso intelligerem, incredibile dictu quantum
prostratus animo fuerim, et quantum lachrymarum profuderim. Atque ut credibilius ti-
fiat dii me perpetuae miseriae obnoxium eiulatorem reddant, si non amarissime do-
lui, dixi quare, si non amarissime gemui flevique. Utcumque me exerceat more solito
ira patris et fortunae odium, sororem meam duxisti, candidissime de sponsali-
bus inter nos convenit, contigitque mihi hoc Platonico anno nulla praeter hanc iucundiores
grata, celebrabuntur nuptiae, ingens erit tuorum et meorum utrinque laetitia,
Id quod ego tibi et tuae sponsae nostrisque omnibus, felix faustum fortunatumque semper
ut sit Deum Opt. Max. Iesum Christum omnibus modis et votis obsecro obtestorque.
Debebam coram adesse, et dominum virum illum, non meum sororium factum, compellare
salutare, ducere sponsum Paranymphus, venerari, amplecti denique; et colere stu-
diosissime. Debebam sed vates iam factus, Epithalamio te sollicitare; quo
nimirum iam sollicito, si continuis lachrymis id genus carminis ut Cento contexerem
Debebat pater me pecunia adiuvare ut id fieri licuisset. Debebam adesse debebat
pater viam sternere. Sed quid? debebat me sinister meus Genius, perfidia, infor-
tunium et de malorum mare excogitare, et fluctibus tantum non mergere. Indoluisti
secundum adverso casu me obrutum fuisse, facis id nescio quo dicam, sed dicam pa-
terne, devinctiorem me hoc mihi verbum succurrit reddidisti, si modo ille tuus
ego alter animus (sed numquid sumus nos improbi et sinunt hoc tui immortales
divi?) devinctus nullo non modo quam arctissime sic, tibique soli, si diis placet. gaudet
Invitasti ad nuptias nihil minus potui, nihil magis potui quam dulciter lachrymari
et tum vestras relegerem, et tristes meis plorantibus literis responderem. Socerum
tuum tibi festive hilarem patrem meum mihi vere implacatum nuncias, sic tamen ut
somnia nostra nobis narraveris et provide divinanti vati consenseris. Iubes curare
ut nihil eorum quae sinistre acciderunt, culpa mea evenisse videri queat. Curam, obse-
cutus sum, nihil mea culpa deliquit, nihil enim deliqui, supplex sum, devoveo me
si ecce peccem, ignoscat modo, condonet, placetur, reconciliatur, et obliviscatur eorum
quae hactenus in meum caput cuduntur maxime. Quid ut Glareanum mihi reconci-
liare admones? quem si sit cupiat enixissime, in eam quidem amicitiam in gratiam
meam reduxerit, hoc tibi uni loquimur, propterea quod ille simultatem semel indutam
nescio quo ministrante Nesso non nisi supremo rogo exuet. Dies vereor tamen non ab
ingenio meo recedere, sit ita non recedam, tamen dies ipsa atque adeo res quoque olim docebit
quam veris etiam citra ingenium meum sis quid alium ingenio fuerim. Non longum tempus
est dedi ad te literas magnam inter hunc et me sic tunc videbatur Tragoediam effutientes
Quam nunc mi Comoediam placatiorem diceres, si scias quam in hoc casu inter nos desino miris
velitationibus tumultuatum fuerit. Dii utrique suam mentem dabunt, suos animos.
Ne multa referam numquid multa refero? Latrocinii crimine accusavit et soceri tui alio-
satis misellum et hostibus miserandum filium quantum potuit damnavit, iustitia hunc
exerceat causidicum. His nihil addam verum si omnem litem a fronte accusationis ad pe-
dem usque damnationis ut ita dicam exponi voles rescribe. Rescribe quid illud sit quod
non occupatus relaturus eras, et num pater me in perpetuis Galliae Gratiis proscriptum
tenere decernat. Ego vero tantisper dum id fiat nihil quod sponsi vitam referat
sentiam, Tristabor, omnia metuam, omnia imo pestilentiam quae apud nos quoque ad decimum
a Lutetia lapidem Melodunum sequiet, aut iam mors liberabit ab anxiis malis, aut pater
si me vocet iterum pecuniam supplici et fasso missurus. Si patriam forsan iterum non
videro Epitaphio me prosequere, spero enim ut ego nuptiis interesse nequeo, ille meis
interfuturus sit exequiis. Parce si pro Epithalamiis Epitaphia loquor, non sum compos
id nolens volens moerore et misera conditione temulentus non tecum non congerri
potui, Solus miser sum non est omen et si nocturni nihil, vel parum lucis appareat. Velim
scire praeceptor noster omnibus modis factus es an Tigurinus futurus sis perpetuo. Vrilingius
venturus erat si dii voluissent nunc tibi bilingues atque adeo trilingues mitto et Calliopes
funus pene mortuus. Desinam continuo ~~[illegible]~~ garrire et iocari umbra. Valentinus Tschudius
Parochus Glareanus te salutari iussit nosti puto illum ingeniosum iuvenem. Idem facit
Petrus Tschudius sed ille Lutetiae Leopoldus noster. Glareanus ne hoc nescias diversa-
ria nobis a Lutetia nimirum ad decimum lapidem pestil. malum cum suis declinare

studet. Non potuere hec tam longa breuius tristia latius scribi. Ignosce oro et horula nuptiis tuis
sperare sinas. Coniugem tuam ~~tt~~ Zinglium et Osaldum Myco. uiros studiis doctos et perhumanos
quorum ego mancipium sum et quicunque me loquentur nomine meo saluere iubeto. Vale tu tuis foelicissi
me succedantque omnia tam foeliciter quam mihi miserere, fiatque nihil nisi nuptialiter et ex sententia uestra.
Melodunj VI Octobris Anno M.D.xviij

Conradus Grebelius soceri tui filius calamitosissimus tuus ille ut lubet

Ioachimo Vadiano Poe-
tae Oratori et medico insi-
gni patrono suo generoso pie co-
lendo.